



1758.12

Pr. D. num. 20. 13

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
 DE  
**REVOCATIONE TESTAMEN-  
 TORVM EX IVRIS GERMANICI  
 PRINCIPIIS EXPLICATA**

1001

QVAM  
**DIVINIS AVSPICIIS**  
 CONSENSV ET AVCTORITATE  
**MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS**  
 IN CELEBERRIMA NORICORVM VNIVERSITATE  
**PRO LICENTIA**  
 SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
 ET DOCTORVM PRIVILEGIA  
 RITE LEGITIMEQVE IMPETRANDI  
 DIE XXX. MAII A. MDCCCLVIII.  
 SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI  
 SVBIIICIT  
**BERNH. MAVRITIVS HOFFMANNVS**  
 ALTORFINVS.


ALTORFII  
 TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



DISSECTATIO IN VAGRA IS IURIS  
REVOCATIONE TESTAMENTI  
IURIS ET IURIS CIVILIS  
PRINCIPIS EXPLICATA

IN CELEBRIMA SOCIETATE  
MAGNIFICI IUSTORVM ORDINIS  
CONSENSV ET AVTORITATE  
DIGNIS ACADEMICIS  
SVMMO IN VIKOOVE IURE HONORE  
ET DOCTORVM PRIVILEGIO  
RITE RECIPIENTV IMPRIMENDI

SOLENNI FRATRIORVM EXAMINI  
BERNARDI MAURITII HOFFMANNI



SACRI ROMANI IMPERII  
PERILLVSTRIS AC LIBERAE  
REIPVBLICAE  
NORIMBERGENSIS  
SENATV  
SPLENDIDISSIMO  
PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMISQVE  
DOMINIS DOMINIS  
DVVMVIRIS  
TRIVMVIRIS  
SEPTENVIRIS  
CONSVLIBVS  
ET RELIQVIS  
SENATORIBVS  
PATRIAE PATRIBVS  
INDVLGENTISSIMIS  
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS  
OBSEQUIOSAE MENTIS CVLTV  
SEMPITERNVM DEVENERANDIS

FORTVNATISSIMVM REGIMEN  
PERPETVAM INCOLVMITATEM  
CONSILIORVM LAETISSIMOS EVENTVS  
GENEROSISSIMARVM FAMILIARVM  
SPLENDOREM

AD VLTIMA SECVLA TRANSEVNTEM  
A DEO O. R. MODERATORE  
DEVOTISSIMA MENTIS PIETATE  
APPRECATVS

HASCE MEDITATIONES INAVGVRALES  
SVBMISSA OFFERT

SIMVLQVE  
SE OMNI ANIMI DEMISSIONE  
COMMENDAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS  
BERNH. MAVRITIVS HOFFMANNVS.



DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS  
DE  
TESTAMENTORVM REVOCATIONE  
EX IVRIS GERMANICI PRINCIPIIS  
EXPLICATA.

---

§. I



Nullus legum scientiae locus quaestio-  
num argutarum ferax est, res  
certe testamentaria omnium est fer-  
tilissima. Iam diu de legitimis testa-  
mentorum natalibus disceptatum fuit,  
nec, quod mirandum, hodie disceptare desinunt. Te-  
stamenta iuris esse naturae, negant multi, aiunt non  
pauci, quorum in castris potissimum pugnat. VINCENTIVS.  
A 3. GAV.

GAVDIVS, in differtat. singulari *testamenti factiois in iure naturali firmitatem contra Excell. Sam. L. B. de Cocceii* alto supercilio uindicare conatus, uirosque alios eosque summos castigatum se minatus. Iam nostrum non est, tantas componere lites; at mihi tamen, andabatarum more pugnari, peruasum est. Et quidni dissentiant, cum inter ipsos nec, quid sit ius naturae, nec, quid esse iuris naturae censeatur, nec de iusta testamenti definitione ac stabili, conueniat. Homines nescio qua immortalitatis fluxae specie delusi fortunis suis leges post fata duraturas scribere cupiunt; scribant, dummodo inter uiuos atque eos praesertim, quorum interest, animi sententiam rite exponant, sed ut uoluntati eorum, qui, quidquid placuerit, omni uitae momento, liberrime mutant tolluntue, nec, num heres iste futurus sit, sciunt, nec scire possunt, ut uoluntati, inquam, eorum obtemperetur, id sane mutua ciuium *facilitate* atque *humanitate*, tam blandum officii genus, quod aliis praestant, sibi quoque spondentium, introductum et moribus confirmatum fuit. Et haec tenus testamenti factio iuri naturae *ampliori* non repugnat. Sed si ciues huiusmodi uoluntati inefficaci obtemperare nollent, nec sibi paria postulerent officia: testatori iniuriam non fieri existimauerim. Et haec tenus ius naturae *pressius* regulisque *iusti* terminatum (qua forma plerumque accipitur) non uiolatur, si testamenta negligimus.

§. II.

Germanis testamentum nullum fuisse, si Romanorum testamentum mente complectaris, concedo; sed qui Germanos suo more testamenta condidisse negat, is uelustarum chartarum uolumina uix unquam euoluisset uideatur. Germani rem seriam inter uiuos et praesentes agebant, de sollempni heredis institutione parum solliciti. Sed



Sed postquam legum Iustiniani Imperat. libros, tamquam folia Sibyllina, susceperant, amplissima libertate testamentaria adeo deliniebantur, ut moribus patriis nuntium fere remitterent, et peregrina instituta non subsidii tantum causa admitterent, uerum etiam in codices suos legum uernaculos mirifico studio referrent, eoque ipso tam praeclarum inuentum natium esse iuberent. Quapropter aura secunda nauigare dicitur, qui in testamentariis disceptationibus iuris Romani cynosuram sequitur. Iam totam fabulam decantare non conuenit; locum unicum, qui mortalibus maxime blanditur, locum nimirum de testamentis solemniter confectis, quotiescunque libuerit, reuocandis siue tollendis, attingere constituimus.

§. III.

Hominum consilia pleraque uana esse et flexibilia, saeculorum omnium fide testatissimum est. Sed leges ciuiles ad huiusmodi imbecillitatem, auxiliis suis sustinentem, tam propensas esse miramur. Aurea uox VIPIANI L. 32. §. 3. ff. de donat. inter uir. et uxor. et L. 4. ff. de adm. l. transf. legat. *ambulatoria uoluntas defuncti usque ad uitae supremum exitum*, ore omnium quotidie celebratur, et HERMOGEN. L. 22. pr. ff. de Leg. III ait: *nemo sibi potest legem dicere, ut a priore ei recedere non liceat.* Quid? quod ne fingi quidem posset, integro decennio quemquam in eadem uoluntate persistisse, in tanta animi uarietate, qua hominum uoluntates in horas mutantur. Quare Honorius et Theodos. Aug. L. 6. C. Theodos. de testament. statuunt: *Ne quis, post diem mortis, scriptis ante decennium testamentis, praestet assensus, nullisque penitus uiribus scriptura huiusmodi tempore antiquata, taxetur, praesertim, si cum uoluntas continuata persistit, breuis mora sit, recentibus uetustatem innouare temporibus* uic

uix enim fieri potest, ut per haec tempora, quae fidei amore contraximus, omnem testium conscientiam mors coniurata surripiat. Et reuera nefas est, ut antiquae deliberationis ordinatio, uoluntas postrema dicatur. Celeberr. IAC. GOTHOFR. rationes huius legis, ut leues et ieiunas perstrinxit. Eam constitutionem, inquit, firmat triplici colore, siue ratione. Primam hanc obtendit, quod scilicet testatori facile fuisset, si in eadem uoluntate perstitisset, testamentum a se conditum intra decennii spatium confirmare: quod quia non fecit, eius nullam ipsummet habuisse, neque ab aliis haberi uoluisse rationem. Nam ita haec ratio et ratiocinatio accipienda est. Quae tamen stipula leuior est: Nam immo contra, eo ipso testamentum ualere debet, quod ei derogatum non est: nam quod uulgatum est, et exerte dicitur *L. 27. C. Iust. eod.* (qua haec lex abrogatur) quod non mutatur, quare stare prohibetur? Quae ratione, qui testamentum fecit, et nihil uoluit contrarium, intestatus efficietur? Secunda ratio petita est a fide testamenti, et testium: quod uix sit, ut non (ita enim hic legendum inserta negatione) testium probationem omnem mors intra id tempus coniurata surripiat, i. e. ut non omnes pene testes illo temporis spatio morte subducantur, et sic fides probationum depereat. Idque est, quod proficitur hac lege Honorius, se tempora haec fidei amore contraxisse, seu coangustasse: Fidei, id est, probationum. Quae ratio etsi simpliciter uera non est, fatendum tamen (quod nemo adhuc animaduertit) ab istorum temporum ratione, quibus haec lex lata est, eam non abhorrentem; nempe quod decennio, et eo amplius a fine Anni D. 406. Mars coniuratus, barbaris undique gentibus in Illyricum, Italiam, Gallias et Hispaniam immisissis, omnia misceret, et mors uelut coniurata demeteret. Quo

Quo pertinet omnino (ut omittam alia) Seueri Sancti Endelechii, qui per haec ipsa tempora scribebat, carmen *de mortib. boum*, quod alibi latius expositum est. Exinde interim colligitur, Honorium pro certo posuisse et supposuisse, si testes omnes testamentarii mortui fuerint, testamentum irritari oportere. Quod recte alioquin negatur, de quo uid. *Vigilium Inst. de testament. ordinand.* §. 7, qui tamen non nisi de quorundam testium morte agit. Verum haec ratio uel eo impugnari potest, quod et testes ipsi superesse possint, et quamlibet mortuis aliis, ad comparationem literarum testibus uocatis de fide testamenti constare possit. Tertia ratio uel color potius, quem Honorius obtendit, est, *quod nefas sit ordinationem antiquae deliberationis* (id est uetus ita testamentum) *dici uoluntatem postremam*. Quae sane ratio Icto indigna omnino est. Nam cur, quaeso, *postrema* uoluntas non dicatur, post quam nulla alia reperitur? Sicut enim *primus* est, ante quem est nemo (quod etiam Terentius Scaurus apud Sosipatrem Charisium *lib. 2* notat): ita *postremus* seu supremus procul dubio est, post quem nullus alius existit. l. 92. ff. de V. S. Mutauit haec Iustinian: Imper. L. 27. C. de testament. „Sanctinus, si quis legitimo modo condidit testamentum, et post eius confessionem decennium profluxerit: siquidem nulla innouatio, uel contraria uoluntas testatoris apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? Quemadmodum enim qui testamentum fecit, et nihil uoluit contrarium, intestatus efficitur? sin autem in medio tempore contraria testatoris uoluntas ostenditur, si quidem perfectissima est secundi testamenti confessio: ipso iure prius tollitur testamentum. Sin autem testator tantummodo dixerit, non uoluisse prius stare testamentum, uel aliis uerbis utendo contrariam aperue-

B rit

rit uoluntatem, et hoc uel per testes idoneos non minus tribus, uel inter acta manifestauerit, et decennium fuerit emensum, tunc irritum est testamentum, tam ex contraria uoluntate, quam ex cursu temporali. Aliter etenim testamenta mortuorum per decennii transcurfionem euanescere nullo patimur modo: prioribus constitutionibus, quae super huiusmodi testamentis euacuandis latae fuerant, penitus antiquandis., Conf. Ill. GE. CHRIST. GEBAVER. diss. de testamenti accedente decennii lapsu facta reuocatione, Respond. I. A. Hannefen. Götting. 1753.

Ex his apparet, si quis solis uerbis testamentum suum tollere uelit, is testes idoneos non minus tres adhibeat, uel acta interueniant, et accedat decennii transcurfus. Tanto uero adparatu opus non est, si quis tabulas deleuerit, conciderit, lacerauerit. Sanxit iterum Iustin. §. 7. Inst. quib. mod. testam. infirm. „Et eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit ualere: usque adeo, ut et si quis post factum prius testamentum posterius facere coeperit, et aut mortalitate praeventus, aut quia eius rei poenituit, id non perfecerit: Diui Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulae priores iure factae irritae fiant, nisi sequentes iure ordinatae et perfectae fuerint. Nam imperfectum sine dubio nullum est. THEOPHIL. in Paraphrasi ad h. §. rationem addit: Τα γὰρ εννομως γενομενα, εννομως ανατρεπεσθαι δεi, qui cum consentit CONSTANTIN. HARMENOPOLI Prochiron libr. 5. tit. 5. In Basilicis libr. 35. tit. 2. §. 27. decennium plane non respicitur, sed nouum requiritur testamentum: μη ανατρεισθω τη της δεκαετιας παραγραφι η διαδικη, ει μη αρα τελειας γενομενης ετερας ευχαφου, εναντιαν γνωμην του διατιθεμενου δηλωσης επι επτα η πεντε μαστρωων, i. e. decennii praescriptionem  
testa-

*testamentum ne rescinditor, nisi forte aliud perfectum testamentum scriptura interueniente factum fuerit, quo contraria testatoris uoluntas coram septem uel quinque testibus ostendatur.*

§. IV.

Iam Germanorum leges inter se conferre ac dispicere liceat, qua ratione iura Romana in usus suos conuerterint.

Testamenta quaeuis reuocari possunt.

Mire in hac sententia concordant leges nostrae.

Nonnullae recitant tritum illud: uoluntas est ambulatoria usque ad uitae supremum exitum. *Reform. Wormat. lib. IV, P. III, tit. 7* nititur *VLPIAN. L. 35 ff de R. I.* *Nilil tam naturale est, quam eo genere quidue dissoluere, quo colligatum est; ideo uerborum obligatio uerbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur.* Quamquam haec lex ad rem testamentariam non pertineat; tamen ex eadem argumentum quoddam repeti potest. In *Reform. Francof. P. IV t. I. §. 9* cautum, ne clausula derogatoria testamento adiciatur; si addita, irrita censetur.

§. V.

Neque ullo modo, pacto, conditione, clausula, reuocandi testamenti facultatem testator sibi adimere posse censetur.

*Ius Prouin. Bauar. tit. XXXIV, art. 15: und sollen einiche Clausul, geding, pact oder eyd nicht gültig seyn, dasi iemand hierdurch sich zu einen Testament nicht zu wiederruffen verbinden wolt (quod tamen in Codic. Maximil. omisillum) Ius Prov. Francon. tit. 56. §. 2. Statut. Suerofurt. tit. 39. §. 1. Reform. Nor. tit. 29. L. 12. Ius Provinc. Wurtemberg. P. III. tit. 20. Statut. Hamburg. P. III. tit. 1, art. 37.*

§. VI.

Immo ne sacramentum quidem perpetuae testam enti faciendi libertati obest.

*Oesterr. Lands-Brauch. c. 14. Statut. Fryburg. P. V. tract. III. f. 67. Ius Provinc. Bauar. tit. XXXIV. art. 15. Ius Provinc. Frisiae orient. L. II c. 198 pag. 514. apud WICHT. Excipias Ius Provinc. Hohenlob. tit. VIII. §. 1. quo quis, qui iureiurando se ad ultimum elogium seruandum obstrinxit, id mutare prohibetur.*

§. VII.

Testamenta eodem modo iisdemque sollemnitatibus reuocantur, quibus conduntur.

Sic nonnulla statuta generatim faciunt. *Ius Provinc. Palat. Super. tit. XVI. (h. e. vor Gericht, Stadtschreiber und Gezeugen und sonst durch andere ordentliche Weise) Eadem habet Ius Prou. Palat. Rhen. tit. XVI. Statut. Dinkelsbühl. tit. IV. §. 19. Reform. Nor. tit. XXIX. L. 12. Reform. Wormal. L. IV. P. III, tit. 7. Statut. Hamburg. P. III, tit. 1. art. 37.*

§. VIII.

Ex eo solo testamentum non potest infirmari, quod postea testator id noluerit ualere; sed uel testamenti tabulas incidat, deleat, signaue amoueat, uel nouum testamentum condat.

*Oesterr. Lands-Brauch c. 14. haec ad scripta tantummodo testamenta restringit; nuncupatiuum enim reuocari posse, etiam si aliud testamentum substituatur nullum. Sed modus reuocandi non definitur. Statut. Fryburg. P. V. tract. III. fol. 67. nihil de reuocatione ideo cauent, quod ultimum elogium mutaturus, nouum testamentum, idemque scriptum, adhibitis V testibus edere iubetur.*

§. IX.

§. IX.

Testamentum perfectum posterius rumpit prius, tametsi prius uerbis perspicuis non tollatur.

*Oesterr. Lands-Brauch.* c. 1. *Ordinat. Prouinc. Morau.* f. 168. *Ius Prou. Hobenlob.* tit. VIII, §. 7. *Ius Prou. Württemberg.* P. III, tit. 20. Excipe *Ius Prou. Frisiae Orient.* lib. II, c. 198, quo prius testamentum consistit, si id in altero expressè non reuocatum, nec noui testamenti causa memorata fuerit.

§. X.

Si uerbis solis siue simplicibus testamentum reuocare placeat, uel testes adhibeantur, uel acta interueniant.

*Ius Prou. Bauar.* tit. XXXIV, art. 15. septem testes requirit, quibus quis se, testamento reuocato, ab intestato decessurum significet, quamquam postea aliud testamentum conficere non prohibetur. *Codex Maximil.* P. III, c. 3. §. 24, p. 236 reuocatio, ut aut in iudicio aut septem testibus congregatis fiat, sancit. *Statut. Sueuofurt.* tit. 39. §. 2. testamentum aut apud acta aut in idoneorum testium corona (*vor etlichen hiez zu tauglichen Personen*) infirmum declarari potest, etiamsi quis, se nullum testamentum facturum, non dixerit. Id factum fuisse comprobant heredes ab intestato. *Iure Prouinc. Hobenlob.* tit. VIII, §. 5. testamenta aut actis aut testibus interuenientibus expressè reuocare licet. *Iur. Prou. Würtemb.* P. III, tit. 20. itidem aut iudicis aut quatuor testium fides (*ehrlüche hiez zu taugliche Personen*) exposcitur. Neque addere necesse habet testator, sine testamento se uelle decedere. *Reform. Francos.* P. IV tit. VII, §. 2. cautum, ut testator, ni nouum facere uelit testamentum prius in codice testamentorum cancellariae delendum aut per testes olim adhibitos, uel, si hi decesserint, per tres alios id negotii in iudicio expediendum curet. *Reform. Wormat.* lib. IV, P. III, tit. VII, reuocationem

coram senatu fieri permittit. *Statut. Lüneb.* P. IV, tit. VI testamenta coram iisdem testibus, qui olim rogati fuerunt, aut, his rebus humanis ereptis, coram duobus testibus rogatis tolli et hunc actum instrumento roborari uolunt.

§. XI.

De lapsu decenni statuta generatim silent.

In *Iur. Prou. Hobenlob.* cit. loc. istud iuris communis decennium expresse reiicitur.

Excipe *Ius Prou. Bavar.* et *Cod. Maximil.* c. I. Testamentum septem testibus accitis reuocatum, prorsus sublatum censent. Si testes pauciores, tres tamen, adfuerint, testamentum, quod ad legata attinet, illico; quod ad heredis institutionem, non ante corrui, quam a reuocationis die decennium effluerit. Sic Ius Iustinian. aliquo modo adprobatur. *Illustr. Schmid.* in *Comment. ad Statut. Bavar.* tit. 34, art. 15. Tom. III, p. 549, in quo, ait, inter ius commune et ius nostrum Statutarium notabilis differentia, si uel L. 27. C. de testament. cum communi interpretatione Doctorum intelligere uelimus. Dicit enim ibidem Iustinianus: *Sancimus, si quis legitimo modo condidit testamentum, et post eius confectionem decennium proflexerit* etc, ubi interpretes hoc decennium secundum uerba initialia legis quoad confectionem testamenti restringunt, articulus autem noster ad reuocationem. Verba sunt: *Wann nach dieser Wiederruffung zehen Jahr verlossen.* Quamuis fateamur, L. Sancimus iuxta glossam ibid. sub. litt. E. in uers. fuerit, non minus cum articulo nostro conformiter intelligi posse, ut computatio temporis a die reuocationis fieri debeat.

§. XII.

Testamentum iudiciale infirmatur, si tabulae ab actis repetantur, ac praesertim, si animus testamenti tollendi perspicue declaretur.

Quam-



Quamplurima Statuta in eo consentiunt, solam testamenti repetitionem illud reddere infirmum. De iuribus Silesiae WEINGART. in fasciculo diuerforum iurium P. III., c. 5. late. differit. Nimirum perill. Guielm. Malzan. L. B. de War-tenberg roganti: an vim testamenti iudicialis amittat ultima uoluntas, si tabulae a testatore uel ab eiusdem mandatario repetantur? aiens respondit curia regia Ducatus Silesiae, item *Silius Friaericus Dux Oelsnens.* qui addidit: *etiamsi nota diei testamenti exhibiti non deleta, nec inuolucrum, signo munitum, laceratum fuerit.* Consentunt praefecti Ducatus Suid-nicens. et lauerens. item Vratislauiens. hic tamen postulat, ut cautio de testamento iudici exhibito (*Recognitions-Schein*) restituiatur. Praefectus siue Capitan. Lignicens. distinguit: utrum testamenta sola fide iudicii constent, an solemniter confecta, maioris tantum securitatis causa, ad acta publica deponantur. Si prius, reuocatione fiunt irrita; sin post-terius, reuocatio sola non nocet, si testamentum in bonis defuncti illaesum reperiatur. Accedit Vratislau. Scabinorum sententia in alia specie. Testator quidam repetit testamento suum ab actis, idemque auulso iudicii signo, at suo annulo quater signatum, in rebus suis asseruat, quo reperto cognatus quidem, ut testamentum exhibeatur, et more consueto publicetur, petit. Scabini respondent: testamentum quidem exhibendum, at nihilo secius infirmum iudicandum esse. *Ius Prouinc. Hohensloh. tit. VIII., §. 2. is,* qui elogium suum ultimum actis insinuauit, apud eadem acta, ubi contra sentiat, id indicare iubetur. Si repetat testamentum, iudicem certiozem faciat, qua mente repe-tat, tollendi, an inspiciendi causa; si prius, reuocatio in actis iudicii annotanda; sin postterius, tabulae actis quatuor hebdomadibus reddendae; etenim in bonis te-statoris asseruatae ui testamenti iudicialis carent. In alma ciuitate *Norica* moribus receptum, ut testamenta sublata censentur si a Nominatis (*den Genannten*) qui hac in re perpetui magistratus deputati uidentur, tabulae reperun-tur. Nominati autem isti plerumque signa sua auellunt, atque adeo, si testamenta non apud Nominatos, sed alibi reperiuntur, pro reuocatis habentur; Vid. Viri. consult. Com-

Comment. ad Ref. Nor. tit. XXIX. L. 12, §. 3. In muneris certe nominatorum partibus refertur: Wann auch ein testirende Person ihr Testament von dem Genannten, der es hat, wieder erforderte, soll derselbe es niemand dann der testirenden Person selbst in ihre Hand antworten und alsbald die Siegel davon schneiden und es anderer Gestalten nicht wieder von sich geben oder dem Testirer in Handen lassen, es seyen dann vorhero die Siegel davon abgethan worden, es möge gleich der letzte Will geändert werden wollen oder nicht: um hierdurch allerhand Streitigkeiten, so sonst hieraus entstehen könnten vorzukommen. Vnd solches solle er auch dem andern seinem Mit-Stegler beneben Vberantwortung seines abgenommenen Siegels anzeigen, dessen ein Wissen zu haben. Comment. modo laud. ad tit. V. L. I. Sect. I. p. 667. Deciso Elect. Saxon. XLIV ex sola testamenti iudicialis repetitione uim illius extinctam esse, conici non uult, si iudicis signum integrum deprehendatur, nisi testator se reuocandi animo testamentum repetere euidenter exposuerit; Iure Prou. Boruss. Nouo P. III, lib. 7. tit. 17, art. 1. §. 11. fancitum, ne reuocatione sola testamentum rumpatur, sed testator animi sui sententiam uel in iudicio explicet, uel aliud condat testamentum; reuocatum autem censetur testamentum, si quis illud ex iudicio repetat, neque conuictis sollemnitatibus iterum exhibeat, quare infirmum erit, quamuis testator id in chartis suis seruauerit, non apertum. Quum hoc Iure Nouo Prouinc. testamenta priuata abrogata fuerint, huius constitutionis rationem facili negotio intelligimus.

Iure Prou. Hadel. P. III, tit. IX. testamentum iudiciale infirmum existimatur, si, cum repeteretur, expresse declaratum fuerit, uoluntatem mutatam esse. Concordat Ius Prou. Dithmars. art. XXIX. Iure Lubec. de testamentis iudicialibus tantum cauetur, quamquam ad iuris communis normam ultimum iudicium edere ueritum non est. Testamenta huiusmodi reuocari posse, nulla decennii ratione habita, adfirmat IOACH. LVC. STEIN. in der gründlichen Abhandlung des Lübbischen Rechts P. II, p. 255. quia testamenta Lubecensia magis ex iure donationum explicanda uidentur. Id ualde singulare est, quod I. Lubec. P. II, tit. 1, art. 4. constituitur:

cum

cum uir morbo afflictus, condito testamento, legata cognatis ad  
 alias causas, aliterus dat, et testamentum Senatoribus illud more  
 solito recipientibus exhibuit, deinde reclamantibus statim suas uel  
 uxoris cognatis praesentibus negotium in proximum diem differre  
 postularit, nullaque alia uoluntatis immutatione facta decesserit,  
 legatariis legata in iure existentibus iuxta tenorem testamenti por-  
 rigenda sunt. Legata enim quotquot scripta sunt, rata sunt, nisi  
 alia iusta causa impediatur. Iure communi huiusmodi testa-  
 mentum, iuxta testatoris uoluntate deficiente, imperfectum  
 censendum esset. Secus se res habet, ait MEVIUS ad h. l.  
 cum ex argumentis probabilibus constet, testatorem, non  
 attenta contradictione, uoluisse insistere priori uoluntati,  
 cuiusmodi habendum, ubi, licet ad deliberandum refer-  
 uata dilatione aliquamdiu superstes, nihil mutat. Cete-  
 rum si legum interpretes audimus, in diuersas partes ii dif-  
 cedunt; uid. C. V. GRYPEN. in obseruat. de forma con-  
 ficiendi acta apud Romanos, (Hannouer, 1753.) qui testa-  
 mento iudiciali ab actis remoto uim suam abiudicat;  
 LAVTERB. in diss. de testament. iudic. §. 28. controuersiam  
 distinguendo definit. Quos leges patrias scriptas euoluere  
 non piget, iis inter doctorum opiniones fluctuare opus  
 non est.

§. XIII.

Sic, quam plurimis Germaniae prouinciis peragra-  
 tis, non hariolando assecuti sumus; sed certius et paulo  
 plenius tenemus, quid in hoc argumento iuris Germanici  
 censendum sit. Sed nondum tricae omnes expeditae ui-  
 dentur. Constitutiones quam multae, quas perlustra-  
 ui, de testamento quidem iniusto, rupto, irrito, iuri  
 Romano plerumque conuenienter; at de testamento, so-  
 lis uerbis sublato, nihil statuunt. Quid consilii? sine  
 dubio ius commune auxilia sua porriget. Sed quale?  
 Ius, ni fallor, Iustinianeum, moribus nostris tempe-  
 ratum.

ratum. Voluntas nimirum ultima non uerbis simplicibus, quibus nec edita fuit, sed uel testibus adhibitis, uel actis interuenientibus, infirmari potest. Num et decennio decurso opus est? Arenam hic conspicio, quam subterfugere non decet. Ad negantium uero partes accedam, ius peregrinum hoc ipso, quod decennium negligimus, temperatum esse ratus. In Statutis, quae antea excussimus, unicum duntaxat deprehendimus, decennii appendice oneratum; reliqua nihil, nisi testium aut actorum publicorum fidem requirunt. Inde argumentum paulo latius licebit deducere. Deinde uniuersae Germaniae foris ac Ictorum collegiis, si testimonium denunciare liceat, decennium, usu certe hodierno, non approbari, confirmare non dubito. At ne nimis liberaliter haec tradere uidear, en! testes locupletissimos.

§. XIV.

SCHILTERVS, uir de iurisprudentia Germanica immortaliter meritus, in Exercit. ad ff. 38, §. 75. pragmaticos usum in foro nostro decennii hac in parte, negare, ait, sed coram notario et testibus ualide posse reuocari testamentum. Nititur *Iure Boruss. Iur. Wurt. Iur. Palat. Elect. Statut. Francof.* nititur et auctoritatibus; addit praeterea rationem, rei testamentariae tantum fauorem non esse iuxta principia iurisprudentiae Germanicae; sed potiorem rationem habendam esse *successionis ab intestato*. Quanam praxis in Saxonia uigeat, sincere declarat FINCKELTHVS. Obs. 93, n. 17. „Apud nos tamen, inquit, ut opinor, decennium in reuocatione testamentorum uidetur ex usu recessisse. Altum enim de decennii disputatione hodie in his terris est silentium, et nemo est, qui illud urgeat: siquidem potius receptum est;

ut

ut tantum reuocatio coram Notario et testibus fiat, uel apud acta. MAYNARD. *decis.* 23. n. 3. *uers.* extra terminos. Ibi: Immo more quorundam locorum *libr.* 5. *Consil. Marpurgens.* Vol. 1, *conf.* 34 n. 48. *uers.* Sane si coram. Ibi: si coram legitimo septem testium numero testator uoluntatem suam de reuocando testamento declarauerit: non est opus expectare, quoad decennium effluxisset. MOLLER. l. 3. *Semestr.* c. 22. n. 3, ibi: se nolle testamentum ualere BERLICH. *part.* 3. *conclus.* 4. n. 52, 53, ibi: Etiam nuda uoluntas et remotio, et contrariae uoluntatis declaratio ad eius reuocationem sufficiet. CARPZOV. P. III, *const.* 3, *def.* 42. testamentum apud acta conditum coram septem testibus reuocari posse, sententia quadam anni 1631 pronunciata, confirmat, in qua decennii mentio fit nulla. His adstipulatur IH. de BERGER. in *Oecon. iuris* lib. II, tit. 4. §. 22, p. m. 393. BRUNNEM. ad L. 27 C. de testam. itidem decennium ignorat, auctoresque sequitur ICtos *Marpurgens.* BERLICH. et FINCKELTHVS. HOPPIO teste, in *Comment.* ad §. 7. *Inst.* quib. mod. test. infirm. in usu mod. moribus nostris hodiernis sola reuocatio uerbalis coram actis aut septem testibus facta sufficit, ut infirmetur prius testamentum, etiamsi non accesserit lapsus decennii; quod communiter afferunt pragmatici. Statutis iam excitatis addit *J. Culmens.* lib. III, tit. 8, c. 17. laudat auctores iam antea laudatos. Ita et inclyt: Ordo ICtorum huius academiae litem Mergenthemii agitatam a. 1750 diremit. Viduus quidam uxorem, cuius heres scriptus erat, testamenti tabulas rite reuocasse negat, quia non ipsa, sed, procuratore interueniente, contrariam suam uoluntatem declarauerit, nec decennium effluxerit, nec testamentum ab actis repetitum fuerit; sed replicat actor, testamenta moribus illius loci, (quos publico testimonio comprobauit)

bauit,) per procuratorem offerri, atque adeo reuocari posse, decennium usu negligi, dissensu apud acta luculenter exposito, tabulas infirmatas censerit, etiamsi non repetitae fuerint, cum praesertim uxor iam ante, quam testamentum reuocauerit, a uiro, adultero, liberari uoluerit suaeque bona repetierit. Sic testamentum rite reuocatum iudicarunt prudentes. In alia in comitatu Castellensi a. 1751 tractatae causae specie filius testamentum patris reuocatum existimauit documento nixus, patris triumque testium subscriptione roborato, cui plura testimonia addidit, decennii lapsus hodie nullam rationem haberi ratus. Icti Altorfni decennium quidem non respici censēbant, sed ideo testamentum ruere negabant, quod in documento isto pater, testamentum se repetiturum esse, (*dafs er gesonten, sein Testament wieder zuruck zu fordern*) tantum declarauit, sed non repetiit, immo postea reuocationem ipsam, quam mente conceperat, irritam esse iussit. Conf. etiam THOMAS. in not. ad Inst. cit. loc. STEIN. in der gründlichen Abhandlung des Lübis. Rechts, P. II p. 225. Anmerkungen über die Frankfurt. Reform. II fortsez. p. 389. IO. MARTIN. MOLLER. diff. de mutatione ultimae uoluntatis dubia. §. 62. (Altdorf. 1697) IO. ADAM BAPTISTA ANDR. LOEHLEIN progr. quo demonstrat, testamenta sola uoluntate contraria uerbis sollempniter tamen declarata, facto nullo concurrente, neque lapsu decennii accedente, infirmari. Wirceb. 1754. GROENEWEGENIO de leg. abrogat. ad §. 7. Instit. quib. mod. testam. infirm. Romani iuris scrupulosa subtilitas aliena uidetur a simplicitate testatorum, qui contrariae uoluntatis declaratione uoluerunt decedere intestati, quorumque suprema uoluntas semper primum locum obtinere debet; quodsi igitur testator coram No-

tario

tario et duobus testibus testamentum suum simpliciter reuocauit, etiamsi aliud non condidit, prius tamen infirmatur atque corrui, decennio reiecto; ita quoque Hollandiae Curia prouincialis in contradictorio iudicio censuit. SIMON VAN LEEVWEN in censura forensi libr. III. c. 2. §. 8.

§. XV.

Sed et aientium cohortis duces euocare iuuat. Cel. STRYK. in caut. test. c. 24. §. 36 decennii quidem historiam enarrat, sed quid de moribus Germaniae uideatur censendum, liquido non explicat; decennium tamen §. 38. requirit, testatore uel in iudicio testamentum reuocante, hoc addito monito: *Quamquam haec sententia suis rationibus non destituatur: contraria tamen siue negatiua huius quaestionis plerorumque Dd. calculo recepta est;* at in us. mod. tit. de iniusto, rupto etc. §. 7. aperte docet: *Sic etiam per statuta aliorum locorum lapsus decennii non amplius attenditur, quae refert SCHILTER. Exerc. 38, §. 75. Sane ubi aliud non receptum, standum dispositioni iuris Romani.* GROENEWEGEN. sententiam satis lubricam esse, legem uero 27 C. de testam ratione solida non destitui, existimat. At enim uero rationem legis *Honorii* ex Cod. Theod. supra excitatae, unde et lex cit. Iustinian. manauit, minus solidam fuisse iam erudite ostendit IAC. GOTHOFR. quapropter Iustinianus eam perperam retinuit; sed dabimus, rationem legis iis, quibus lex condita fuerit, temporibus non spernendam fuisse, idcirco ea cum Germanorum moribus, extra dubitationem positis, non congruit, ius autem peregrinum inuitis moribus nostris non admittimus. VINIVS in Comment. ad Inst. §. 7. tit. quib. mod. testam. infirm. dubitandi rationes diluere, atque L. praesertim 27.

C. de test. uindicare contendit. Iis enim, quibus ini-  
 quum uidetur, eum bona defuncti obtinere, quem ea ha-  
 bere noluit, respondet; periculosum est, aequitatem  
 praetexere contra expressam iuris auctoritatem; quod  
 haud dubie hac ratione nititur, quod non uideatur satis  
 serio improbasse uoluntatem sollemni testamento com-  
 prehensam, qui nuda eam reuocauit, tabulis testamenti  
 integris seruatis. Si enim testamentum omnino ualere  
 noluisse, poterat tabulas incidere, delere, poterat aliud  
 testamentum condere; quod cum non fecerit, praesu-  
 mere licet, eum reuocationis poenituisse, ut non sine  
 ratione defendatur, maiorem oportere uim esse testamen-  
 ti, quod integrum et in suo statu testator reliquit, quam  
 nuda illius declarationis contrariae. Sed, meo quidem  
 iudicio, iam non dispicitur, quid testator facere po-  
 tuerit, sed quod iure propitio fecit. In euidenti men-  
 tis contrariae explicatione non minor certe, forte etiam  
 maior uis inesse uidetur, quam in tabularum incisione,  
 quippe quae fortuito quoque contingere potest; quid?  
 tabulae testamenti non semper in promptu sunt, neque  
 ideo semper possunt deleri. VINNIVS ipse ratione testa-  
 menti nuncupatiui a se ipso desciscit: *plane*, inquit,  
*ad infirmitatem testamenti nuncupatiui putare sufficere simpli-*  
*cem uoluntatis reuocationem, factam coram legitimo testium*  
*numero. arg. L. nihil. 35. de Reg. iur. CONNAN. 9. comm. 7.*  
*WESEMB. in hunc. §. Groenew. de legib. abrog. hic. LAVTER-*  
*BACH. in Colleg. theor. pract. tit. de iniusto, rupto etc.*  
*§. 13. decenni lapsum quidem desiderat, sed non tacet*  
*statuta contraria, immo in diff. III, §. 35. in Ius Prou.*  
*Wurtemberg. (P. III, art. 20.) addit.: non potest dari*  
*ratio, cur indubitata uoluntas coram iudice uel aliis honestis*  
*uiris exposita de iure ciuili non idem operari debeat, quod*  
*facit*



*facit sola sigilli remotio, cancellatio, aut testamenti incisio.*  
 BARDILI in diff. de reuocat. ult. uolunt. §. 22 eadem  
 docet.

Decennium in Saxonía negligi iam diximus §. antec. sed  
 in CARPZOVII responf. Iur. Elector. L. VI, tit. 2, responf. 17  
 sententia contraria defendi uidetur. Ita enim Scabini  
 Lips. ad consultationem *Iob. Woelffels zu Dobna*, M. Nou.  
 anno 1641 (uerba sententiae) *Hat euers Vatters Bruder*  
*vor 16 Jahren einen letzten Willen zu Dobna aufgerichtet,*  
*und sechs Jahr hernach ein ander Testament zu Pirna verfertigt,*  
*darinnen das vorige cassiret, nachmals solches den Ge-*  
*richtern dasehst übergeben, auch seithero verstorben. Wann*  
*nun gleich bemeldtes ander Testament zu Recht nicht bestaen-*  
*dig, und pro nuda declaratione coram actis facta zu ach-*  
*ten: Dieweil aber dennoch das decennium von Zeit des er-*  
*sten Testaments allbereit vorlaengst verflossen, so ist auch das*  
*erste Testament nunmehr wiederum zu Recht cassiret und auf-*  
*gehoben. V. R. W.*

PHILIPPI in VI. pract. Inst. lib. II, tit. 17, §. 7. in hoc  
 Scabinorum oraculo non, quod pueri in faba sibi inue-  
 nisse, uidetur. Arbitratur quidem, ait, D. FINCKEL-  
 THVS. d. obseru. 93. n. 17. hoc decennium ab usu recep-  
 sisse uideri; sed nullo adminiculo probat, et DD. ab eo  
 ibid. alleg. ne uerbulo huiusmodi abrogationis mentionem  
 faciunt. Quod ergo non mutatum reperitur, cur stare  
 prohibeatur? L. praecipimus 32 in fin. C. de appellat.  
 Ita iudicarunt Scabini Lipsiens. etc. PHILIPPI abrogatio-  
 nem iuris communis postulat; abrogatum est in Statutis  
 a nobis supra allatis, quae ad testamentum infirmandum  
 nil, nisi uoluntatem contrariam testibus uel actis inter-  
 uenientibus declaratam, desiderant; accedit usus foren-  
 sis

sis huius decennii ignarus. Praeterea opem petunt non-  
 nulli a Colleg. Ictorum Ienenfium. Ita enim RICHTER.  
 P. I. Decif. 54. in colleg. suo mens. Maii anni 1642.  
 O. A. V. M. responsum fuisse ait: *Obwohl an der perfe-  
 ction des aufgerichteten Testaments nuncupatiui kein Mangel  
 erscheinet, sondern vielmehr durch selbiges das erste aufge-  
 hoben worden; Ob auch wohl in der Cassations-Schrift kein  
 neu Testament mit den gehoerigen requisitis aufgerichtet und  
 es dabero das Ansehen haben moegte, weil berührtes erstes  
 Testamentum ipso iure abgethan, ob waere die M. Wittbe ab  
 intestato verstorben, und derselben Erbschafft auff euer  
 Hauffsrau, als die nechste Blutsfreundin gefallen: Den-  
 noch aber und weilm durch angeregte Cassation-Schriff nicht  
 allein das Testamentum nuncupatiuum hinvieder revocirt und  
 aufgehoben worden, sondern auch zugleich die Testatrix in  
 Gegenwart sieben hiezue erbettener Zeugen sich ausdrücklich  
 erkläret, das es nochmals bey ihren ersten letzten Willen  
 verbleiben soll, und also bey solcher Beschaffenheit keine an-  
 derweit institutio heredis, vielweniger der sonst zu recht er-  
 forderte lapsus decennii vonnoethen gewesen; So mosget ihr  
 euch dabero neben euer Hauffsrauen angezogener Erbschafft  
 mit bestand Rechtens nicht anmassen etc.*

Haec forsitan seculo superiori indulgenda sunt, quo  
 Icti mores patrios aut certe iuris Germanici genium  
 pernocere non admodum laborabant. Hodie, ni fallor,  
 sic non respondebitur.

In ill. GEBAYER. diff. cit. §. 8. sq. causa quaedam in terris  
 Brandenburg. agitata recensetur, qua in decidenda decennii,  
 eiusque a die conditi testamenti computandi, ratio habita  
 fuit. Hodie in terris Brandenb. huiusmodi disceptatio-  
 nem vanam esse ex *Iure Novo Prou. Boruss.* supra cit. facile  
 con-

stat, nec in Iure Prou. Boruff. antiquo P. II, lib. 5, tit. 6, art. 4 decennium postulabatur. IOACH. SCHEPLITZ. in consuetud. Elect. et March. Brandenb. in Supplementis ad P. III, tit 4, §. 2, p. 602. causae cuiusdam speciem affert, in qua testamentum, ab aliquo non amplius agnitum, infirmatum iudicatur, additque: et his in terminis similiter a Dom. ICtis Rostochiens. conclusum scio, ut sequitur. *Wann wie Recht zu erweisen, das die Testatrix beständiglichen ausgesaget, das das Testament ihr letzter Wille nicht wäre, sondern ihr als die nechsten Blutsfreunde ihr ex causa intestati succediren soltet: So ist ermeldtes Testament allerdings nichtig und von Vnwürden.* V. R. W. Sic solis uerbis extinctum fuit testamentum.

Si quaestiones hodie de decennio rarissimae: nec de ratione computandi ualde laborandum erit. Quid? quod Ius Bauaricum cum de decennio, exemplo prorsus inusitato, caueat, id non ex communi, quam dicunt, Doctorum sententia, a tempore conditi, sed reuocati testamenti, repetit. Cel. LUDOVICI in Doctrin. ff. tit. de iniusto, rupto etc. §. 7. uulgari inhaeret sententiae; sed ill. BOEHMER. in introd. in Ius. Digest. d. t. §. 3. decennii lapsum ad testamentum scriptum sollemne restringit; nuncupatiuum uero simpliciter reuocari posse coram septem testibus, et minus sollemne coram duobus tradit. Verum hanc sententiam nonnulli dicent singularem.

§. XVI.

Sed res nondum est in uado. Nonnullos mihi occinere audio: *Statutum ex iure communi interpretationem accipere; Statutum de materia iur. communis cauens recipere omnes ampliationes et restrictiones iuris communis.* Canti-

D

lena

lena haec mihi non est incognita ; sed a sententia nihil dimoueor. Vbi statutum ius commune diserte corrigit , nemo tam inhumanus erit , qui nos ad iuris communis glebam reducat. *Cod. Maximil. iur. Bauar. c. 1. sancit : der bloße Wiederruff mit Worten soll 3tio so wol bey privilegirt , als andern Testamenten , entweder gerichtlich , oder wenigst vor sieben tüchtigen Gezeugen öffentlich geschehen. Seynd nun 4to deren Gezeugen weniger , doch wenigst drey gewest , so gilt der Wiederruff nur quoad legata , und andere dergleichen particularer Geschäfte , quoad institutionem uel substitutionem aber anderer Gestalt nicht , als wenn von Zeit des Wiederruffs zehen Jahr verlossen seynd. Ius commune (h. e. l. 27. C. de testament.) ut testamentum irritum fiat , testatorem contrariam aperire uoluntatem uel per testes idoneos non minus tres uel inter acta manifestare iubet , et decennium transcursum esse oportet. Statutum decennium detrahit , si septem testes adfuerint. Oppido ineptus foret , qui decennium urgere non desisteret. Statutum decennium computat non a die testamenti confecti , sed reuocati , nec obmurmurantium agmina curat. *Iur. Hobenloico c. 1. cautum : Ferner wird ein letzter Wille aufgehoben , wenn der Testirer solchen für Gericht , oder vor fünf Zeugen ausser Gericht , ausdrücklich wiederruffet , wie dann so fort nach sothauer Wiederruffung , ohne dem in gemeinen Rechten hiebey erfordernten Zeit - Verlauf , ein Testament für cassirt zu halten ist. Num quis interpretusque eo desipiet , ut decennium statuto obtrudat ? *Iuris Prou. Wurtemberg. cit. loc. placita haec sunt : So dann einer seyn aufgericht testament entweder vor Gericht , oder vor vier ehrlichen hiez zu tauglichen Personen wiederrufft , und solches durch den hinterlassenen Erben gnugsam bewiesen würde , soll dasselbig hernach keine Krafft mehr haben , da er schon***

sebon bey solcher Wiederruffung nit auch gemelt , das er obne Testament absterben , oder haben wölle , das sein Gut auf seine ab intestato succedirende Erben fallen solle. Testamenta infirma iudicantur actis aut quatuor testibus interuenientibus reuocata. Corrigit itaque hoc ius provinciale ius commune , dum non testium tantum numerum definit , qui in iure communi , modo non sit ternario minor , arbitrarius est ; uerum et decennium omittit. Sed id ipsum , ais , ex iure communi supplendum est , cum ampliationibus suis recepto. Hic practicorum regulae tremendae terminus esto. Vbi Statutum actus alicuius , *capita primaria* , *sive quae dicunt substantialia* , ex iure communi enumerat , sed unum alterumue omittit , *actumque ualidum esse iubet* : satis adparet , ius commune dedita opera correctum , et inutiles appendices reiectas fuisse. Nunc statutum istud in Germaniae quadam prouincia solemniter promulgatum , non subsidiarium , sed proprium et Germanicum puto , atque adeo ex legislatoris mente interpretandum. Ecquid de cassa nuce disputamus ? legum interpretes Germani omnes fere in hoc argumento Ius Prou. Würtemb. correctorium proferunt , ususque perpetuus iis suffragatur. REF. NOR. cit. loc. ultimae uoluntatis mutandae potestatem cuique facit additque : *doch gehört in solch Veränderung eben die Zierlichkeit darzu , die in Aufrichtung desselben gebraucht worden ist*. Hic , hic , inquit , habebit ius commune , ubi merces suas extrudat. Ego certe non crediderim. De modo ultimae uoluntatis infirmandae , Norimbergensibus usitato , iam diximus §. XII. Testamentum , ni decennium emensum fuerit , infirmum non esse , quenquam apud nos statuere non memini. Id ipsum de terris Palat. aliisque ( quarum iura Romanam formulam hac in re non attingunt )

gunt) tradi legimus. Iam §. XIII monuimus, iuris Germanici indolem prius inspiciendam esse, quam copias externas arcessamus. Si testamentum eadem, quae nascitur, sollemnitate retractatum iam irritum censetur, non intelligo, cur peregrinis conditionibus magis irritum reddendum sit.

§. XVII.

Miscelliones quidam reuocationi decennio opus esse putant; sed idem non requirunt, si testator reuocationis causam adiecerit, ueluti si intestatus uoluit decedere. BARDILI c. l. huius sententiae patronos enumerat, quam nonnulli eorum dicunt communem. Vid. etiam GILKENVS ad L. 27, C. de test. Sed cum lex ipsa hanc distinguendi rationem non contineat, opinio plausu digna non esse uidetur, quamquam ex his perspicimus, interpretes incommodo illi decennio uarios cuniculos struere, quibus Germanis non opus est. Id minus dubii habet, militis testamentum simplici reuocatione infirmari. Ita ULPIANVS L. 15. §. 1 ff de testam. mil. *sicut hereditatem miles nuda uoluntate dare potest, ita et adimere potest* et PAVLVS L. 34, §. 2. eod. quocumque modo miles testamentum fecerit, nouissima uoluntate rescindetur, quoniam uoluntas quoque militis testamentum est; sed militis priuilegium ad alios in re testamentaria priuilegiis munitos, extendi nequit. Non solum autem legata, sed et fideicommissa adimi possunt, et quidem nuda uoluntate. Expresse sancitum est in L. 3, §. ult. ff. de adim. uel transf. leg.

§. XVIII.

An testamentum apud acta conditum adhibitis testibus reuocari possit, anceps quaestio uidetur. Adfirmant CARPZ. iurispr. for. P. III, const. 5, def. 25 et 27, n. 2.

n. 2. BERLICH P. III, ccncl. 4. n. 53. BESOLD. Tom. IV, conf. 144, n. 10. RICHTER. P. I, dec. 54, n. 18. Sed cum in nonnullis statutis cautum fuerit, ut testamenta eodem modo, quo conficiuntur, etiam dissoluantur: non in omnibus Germaniae prouinciis ac locis testamentum publicum, tanquam priuatum, reuocari poterit. Nec spernenda uidetur cautela FICHARDI consil. 83, n. 3: *darum wär mein treuer Rath, dass die beyde testirende Eheleut (solch Gezänck und Disputation zu vorzukommen) nochmals für dem Gericht zu Milen (da sie an das, wie ich glaub, seßsafft) wiederumberscheinen und fürtragen lassen, dass sie aus ehebafften Vrsachen sie darzu bezogen, voriges ihr Testament daselbst zu Milen vor Iahren durch sie aufgericht, wöllen öffentlich wiederrufft, cassirt und aufgebebt haben, wie sie dann solches albereit vor fünf Iahren vor Notarien und Zeugen auch gethan haben.*

§. XIX.

Contraria sententia testibus idoneis conuocatis declarari debet. Num rogatos eos esse oportet? num uiri tantum admittantur? ita censeo, quoniam leges Germanorum testamenta eadem sollempnitate (*Zierlichkeit*) sublata esse uolunt, qua condi solent; non nescio alios dissentire, et ill. GEBAYER in d. diff. §. 14. feminarum testimonia in hoc argumento erudite uindicauit. Sed nos Germanorum legum praescripta sequimur.

§. XX.

Nemo mirabitur, hominis uoluntatem iure communi ambulatoriam esse debere usque ad supremum exitum, neque ullo pacto aut uinculo restringi aut angustari

D 3

posse.

posse. Quis enim nesciat, quanto odio pacta hereditaria Romanis fuerint; sed hac in re Germani mores longe dissident, quibus huiusmodi pactis nihil aequius, nihil frequentius. Nos in fabulis referimus, liberae testamenti factioni nullo modo renunciari posse, si quis inter uiuos ac praesentes fortunas suas dispensauerit. Ius ex acceptatione quaesitum adimi temere potest nemini, non nescimus; donationes mortis causa reuocari posse, quamquam interuenerit acceptatio, sed acceptatio ista lege, si testator nihil mutauerit, accessit; caue tamen, donationem mortis commemoratione facta, aut traditione rei donatae ad mortem usque dilata, cum donatione mortis causa commisceas. Conf. 10. CHRIST. SCHEV-  
 RER. diff. de testamento irreuocab. TEXTOR de donat. mortis causa per clausulam annexam irreuocabili. Testamenta coniugum recipi cauius dissensu reuocari non posse aequior iuris doctrina hodie tradit. Ius scriptum Germanicum hac in re sibi non constat. Nonnulla statuta alterius coniugis reuocationem, inscio altero, fieri uctant; alia superstiti de suis bonis libere prospicere permittunt. uid. *Ius Bavar.* tit. XXXIV art. 13. *Ius prou. Wurtemberg.* P. III tit. VI. *Reform. Francof.* P. IV. tit. I. §. 8. *Stat. Lu-  
 neburg.* P. IV. tit. I. MEVII. *Entwurf des Mecklen-  
 burg. Land - Rechts* P. II.  
 tit. XXII.



PRAE-



PRAESTANTISSIMO DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HEVMANNVS, D.

M. T. COLLEGLI ICTORVM DECANVS.

**E**tsi uictoria, quae natura insolens est ac superba, populorum subacterum non fortunas modo, uerum etiam libertatem plerumque et leges et mores uexat conculcatque: ortus tamen Germanici gentes uictis adeo mites se praebuerunt, ut suas cuique leges patrias sequi fas esset. Quare saepius contigisse accepimus, ut uel in una domo leges diuersae deprehenderentur. Tanta haec legum uarietas cum moribus ad nostram aetatem propagata, tum procerum imperii autonomia magis dilatata, iuris nostri studium tam incredibilibus difficultatibus implicuit, ut multos, rerum inuestigandarum copia deterritos, in tritis istis, sed subsidiariis, placitis haerere, immo totum negotium ad ingenium referre, artem-  
que

que, quam sibi fingunt aut optant, non quam usus approbat, nobis tradere intelligamus. Itaque uehementer laetor, CANDIDATE PEREXIMIE, leuem istum iuris, quod dicunt, communis susurrum somno te non obruisse. Raro enim ac nostris adolescentibus fere inusitato ardore abditos iuris Germanici thesauros scrutari instituisti, nec de hoc initiali specimine conquisisti, donec, quibus legibus Germani hodie uiuant, accuratius cognoueris. Quod iter laboriosum quidem, at non iniucundum, si persequi iuuet, quam egregiis tua te industria fructibus, quot honoribus cumulabit! Si in maioribus tuis, uirtutem tuam perpetuo stimulantibus, Machaones quidam aeterna laude celebrantur; age, cura, annitere, ut Papiniani gloriam nomini tuo adiungas. Vale, fortunaque semper prospera, aut peculio certe, solertia tua parto, gaude ac perfruere.

per seque petenda est

externis uirtus incommutata bonis.

Iterum uale. D. Id. Mai. c1o1occlviii.

Altdorf, Diss. 1756-60



f  
56.







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

175812  
Q. D. B. V.

Prüf. num. 20.  
13

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
REVOCATIONE TESTAMEN-  
TORVM EX IVRIS GERMANICI  
PRINCIPIIS EXPLICATA

100  
P. 301

QVAM  
DIVINIS AVSPICIIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN CELEBERRIMA NORICORVM VNIVERSITATE  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ET DOCTORVM PRIVILEGIA  
RITE LEGITIMEQVE IMPETRANDI  
DIE XXX. MAII A. MDCCCXVIII.  
SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIIICIT  
BERNH. MAVRITIVS HOFFMANNVS  
ALTORFINVS.

ALTORFII  
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

